

dem dominos in persona dicti domini archidiaconi in priorem possessionem dicti recepti tripedis reposuit per huius novi traditionem. Quo facto idem archidiaconus nomine procuratorio dicti capituli petiit a dicto Symone, sibi restitutionem seu reparacionem fieri de seppo predicto violenter et minus iuste destructo seu secato per quosdam homines seu officiatos de Sirks. Ad quod idem Symon respondit: 'Statim vobis alium faciam reparari' et incontinenti per quendam carpentarium ibidem fieri fecit novum seppum et ibidem posuit in curte predicta et dixit hec verba: 'Ego de iussu et mandato dominorum meorum undecim predictorum repono vos in possessionem predictorum tripedis et seppi, prout sentenciatum est ab eisdem, quia communis treuga predicta fuisse vos reperiit in possessione ipsorum'. Super qua restitutione sic facta et premissis sic gestis dictus dominus archidiaconus sibi per me fieri petiit publicum instrumentum et sigillo curie Metensis muniri, protestans eciam, quod per huiusmodi restitutionem domini . . prepositus, . . decanus et . .^a capitulum predicti non intendebant renunciare iniurie ipsis illate per destructionem et sublationem seppi et tripedis predictorum, immo verius ipsam iniuriam loco et tempore prosequi intendebant. Protestatus etiam fuit de petendo et prosequendo expensas habitas circa ista necnon de petendo et consequendo summam pecunie supradicte.

Acta fuerunt hec in locis predictis inter horam prime et horam sexte vel circa, anno, die, mense et indictione premissis, presentibus ibidem discretis viris Huguignono^b de Spinalo, Reynaldo de Helfdinga, Therrico Groingnat, Iohanne Geliat, Ludovico de Hympach et pluribus aliis fidedignis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

(S. N.) Et ego Petrus Ancelini clericus Metensis^c publicus auctoritate imperiali et curie Metensis^c notarius predictis omnibus et singulis, ut premittuntur, suprascriptis una cum prenominatis testibus interfui presens, ea omnia et singula suprascripta per Iohannem dictum Bicevin clericum connotarium meum scribi feci et in hanc publicam formam redegi, variis negociis prepeditus, meoque solito signo signavi et nomine una cum sigillo dicte curie Metensis, quod ad mei relationem et rogatum dicti procuratoris eidem publico instrumento procuravi apponi, rogatus et requisitus.

a) ' . . et ' Or.

b) 'Huguignouo' Or.

c) 'mt' Or.